& regnat deus per omnia saecula saeculorum amen ;

LECTIO SANCTI EUANGELII SECUNDUM LUCAM.

In illo tempore dixit ihesus turbis. Si quis uenit ad me & non odit patrem suum & matrem & uxorem & filios & fratres & sorores. adhuc autem & animam suam non potest meus esse discipulus, & qui non baiulat crucem suam & uenit post me. non potest meus esse discipulus. Quis enim ex uobis uolens turrem aedificare. non prius sedens conputat sumptus qui necessarii sunt. si habeat ad perficiendum ne posteaquam posuerit fundamentum & non potuerit perficere. omnes qui uiderunt. incipiant inludere ei dicentes. quia hic homo incipit aedificare, & non potuit consummare; aut quis rex iturus committere bellum aduersus alium regem. non ne sedens prius cogitat. si possit cum decem milibus occurrere ei. qui cum uiginti milibus uenit ad se. alioquin adhuc illo longe agente. legationem mittens. rogat ea quae pacis sunt, Sic ergo omnis ex uobis qui non renuntiat omnibus quae possidet non potest esse meus discipulus ;

OMELIA LECTIONIS EIUSDEM HABITA AD POPULUM IN BASILICA SANCTI SEBASTIANI DIE NATALIS EIUS.

Si consideremus fratres karissimi. quae & quanta sunt quae nobis promittuntur in caelis. uilescunt animo omnia quae habentur in terris, Terrena namque substantia supernae felicitati conparata pondus est non subsidium, temporalis uita. aeternae uitae conparata. mors est potius dicenda quam uita. Ipse enim cotidianus defectus corruptionis. quid est aliud quam quaedam prolixitas mortis. Quae autem lingua dicere. uel quis intellectus capere sufficit. Illa supernae ciuitatis quanta sint gaudia. angelorum choris interesse. Cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris adsistere. praesentem dei uultum cernere. Incircumscriptum lumen uidere. nullo mortis metu affici. Incorruptionis perpetuae munere laetari. Sed ad haec audita inardescit animus. Iamque illic cupit adsistere. ubi se

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc271/0147